

ILLUSTRISSIMO VIRO
AMORI CIVIUM, URBIS PRÆSIDIO,
D. D.
ANTONIO-RAYMONDO-JOANNI-GUALBERTO-GABRIELI

DE SARTINE,

REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARIO,
URBANÆ POLITIÆ MODERATORI VIGILANTISSIMO,
IN CONSULTISSIMA FACULTATE DOCTORI HONORARIO, &c. &c.

QUÆ plurima fert ſecum negotia multiplex & immenſus rerum à te gerendarum ordo, VIR ILLUSTRISSIME, hæc omnia ſimul indefeſsâ mentis acie complecteris, mirâ perpendis cum facilitate, prudenti moderaris Conſilio, prô ſummâ æquitate, maturâque Sagacitate jugiter abſolvis.

Magnatibus acceptus, Plebi carissimus, apud singulos gratiosus, omnium tibi pariter animos concilias & reverentiam. Laus indè tua est, Nominis Gloria, Civium utique cum securitate Felicitas. Carior profectò mihi benevolentiæ tuæ spes honorifica, pretiosa tui Patrocinii nobilis ambitio. Tenuissimum igitur obsequii munus hocce benignus accipias, VIR ILLUSTRISSIME: si quid ad publicam utilitatem valeat Opusculum, eo saltèm à te, quoquo modo, comprobari mereatur,

C. A. GOUBELLY,
S. F. M. P. Baccalaureus.



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS; manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-tertiâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. FLORENTIO-CAROLO BELLOT,

utriusque Pharmaciæ Professore designato, Professore Regio, Doctore Medico, Præside.

An capite fœtûs incuneato, vectis forcipibus anteponendus?

I.



UBI fœtus maturus viribus maternis ex utero protrusus facilè & absque ullâ injuria in lucem editur, suasque secum trahit secundinas integras; partus dicitur *naturalis*. Solius naturæ illud opus totum est, nec ullam, aut rarò, auxiliatricem duntaxat, reposcit opem. Ubi verò naturæ conatus irritos efficiunt, aut ex parte matris, aut ex parte fætûs objecta impedimenta, quæ nisi potenti artis auxilio, vinci minimè possunt, partus votis naturæ haud consentaneus, vocatur *contra-naturalis*. Infinitas penè numero, quibus irretitur infans egressurus causas, varias quæ pro variis & causis & rerum circumstantiis propositæ aut adhibitæ fuerunt, artes recensère, longius esset, vetantque theseôs limites. De illo partu difficili admodùm & laborioso in quo caput fœtûs ita incarceratur atque incuneatur ut, nec citrà, nec ultrà progredi queat, de instrumento quod tutiorem partum absolvet ac promptiorem, nostra tantùm erit dissertatiuncula.

Incuneatum dicimus caput, quod intra matris partes seu molles seu duras impactum & immobile hærens, nec validioribus matris moliminibus, nec obstetricantis nudâ manu potest expediri. Ex observatis, capitis zona tantùm aliquando, aliquando tota peripheria constringitur; aliquando tandem spinas inter ischii ossium, apicem sacri, coccygem ita caput infigitur ut, nec progressûs

note 1. Cette gravure ... Varnier. Vol. des ... page 225.

(Voy. thèse ... n° 1.)

ſit capax, nec regreſſûs. Illo igitur inſtrumento armatus accedat neceſſe eſt embryulcus, quo à partibus conſtringentibus caput, ſalvis, quantùm potis eſt, & matris & fœtûs rebus, avellat. Forcipem curvum à Celeberrimo Levret excogitatum & abſolutum laudant ferè omnes. At pace viri peritiſſimi, cui multùm debere artem obſtetriciam, læti profitemur, vectem, non Roonhuyſianum quidem, ſed alium, huic ex aliquâ parte ſimilem, ſimpliciorem, & diversâ methodo tractandum, forcipi anteponendum exiſtimamus.

I I.

INFANTEM in lucem edendum è pelvi majori in minorem, & deinde extrà vulvam expelli neceſſe eſt. Pelvim minorem à majori diſterminat foramen imperfectè ovale quod faucium vel anguſtiarum, ſuperiorum nomine inſignitur. Foramen illud parte ſuperiori ſacri, inferioribus ilii oſſium lateribus & oſſibus pubis circumſcribitur; unde nec circuli, nec ellypſeôs formam exhibet adæquatam. Si ab uno ilio ad alterum ducas lineam, diametrum tranſverſam habebis, anteriorem verò tibi offeret linea diſtantiam à ſacro ad pubem emetiens. Hæc priori minor eſt.

Pelvim minorem efformant ſacrum, coccyx, iſchia, pubis, ligamenta ſacroiſchiatica. Foramen, quo infra terminatur pelvis minor, anguſtiæ minores nuncupatur: quòd duabus diametris interſectum fingere eſt, unâ ſcilicet anteriori, ab angulo pubis ad ſacri apicem ductâ, alterâ transversâ inter ambas iſchiorum tuberoſitates.

In capite fœtûs duas pariter delineabimus diametros, anteriorem nempè & majorem ab oſſe frontali ad occiput, alteram tranſverſam & minorem ab uno temporali oſſe ad alterum.

His præpoſitis, quid in parturitione agatur, paululùm attendamus. Dùm partûs inſtant molimina; collum uteri, caput infantis complectens, è pelvi majori in minorem propulſum, ſuum protendit orificium in vaginam. Caput ergo fœtûs anguſtias ſuperiores ingredi & tranſilire cogitur, ut in pelvim deſcendat, ſacro & coccygi innixurum. Dùm peragitur ille deſcenſus, ità, pro voto naturæ, paulatìm aperiri & dilatari oportet oſtium uteri, ut, jam ponè caput retractum, collum cingat. Nec ſatis: alteræ opponuntur anguſtiæ inferiores, quas ut ſuperet homuncio, ita caput erigendum eſt, ut vulvæ aperturam facies appellat, versùs pubim quaſi rotante occipite. Hinc patet fœtûs caput, vel partibus mollibus, uteri orificio, vaginâ & vulvæ oſtio, vel partibus duris anguſtiis nempè ſuperioribus & inferioribus poſſe retineri & cohiberi incuneatum.

Nec paucioribus nec minoribus differentiis incuneationem ſecernit varia capitis fœtus poſitio. Hoc enim incuneato in anguſtiis ſuperioribus, facies, vel dextrum, vel ſiniſtrum ſpectat transverſæ diametri terminum, vel occipite objecto, facies ſacrum, aut pubim directè vel obliquè reſpicit. In cavitate pelvis minoris ſi locum habeat incuneatio, facies vel ſacro innixa, vel pubi, vel dextro ſiniſtrove lateri objecta, hærebit tùm directè, tùm obliquè ad diametrum tranſverſam. Eâdem notantur diverſitate ſitus & reſpectus faciei, ſi caput in anguſtiis inferioribus detineatur immobile. Qualiſcumque verò ſit faciei ſitus, qui multiformis depingi poteſt, præcipuas capitis lineas cum præcipuis pelvis diametris modò parallelas modò obliquas evadere; ac proindè quatuor inter ſe angulos, ad apicem oppoſitos ſibique invicem modò æquales, modo inæquales efformare nemo diffitebitur. Indicatis repagulis quibus infantulo moræ injiciuntur, delineatisque

variis capitis positionibus, omissis verò causis & signis incuneationis, quæ varios apud Autores legere est, forcipis usum, haud rarò impossibilem, persæpè noxium demonstrare jubet propositi ratio.

III.

UT forceps, cujus figuram, utpotè omnibus notam, negligimus, propositum adimpleat opus, hæc sunt priùs peragenda. 1°. Cochlear utrumque fœtum intrà & partes matris collocandum. 2°. Forcipis crura inter se certo uniantur nexu. 3°. Crura ità apponantur ut colligatorum margines eorum convexæ obviæ sint sacro, cujus latitudo instrumenti axim secet perpendiculariter, margines verò cavæ ossium pubis crura respiciant. Hâc enim mutatâ aut declinatâ positione, premantur, tundantur, imò lacerentur partes matris necesse est, turpiterque vacuum & inane extrahitur instrumentum. 4°, Fætûs capiti eo forceps applicandus est modo, quo hujus cochlearis utriusque cavitas illius diametri transversæ fines comprehendat. Jam verò capite in angustiis superioribus incuneato, hæc quatuor sæpissimè desiderantur. Facie etenim vel pubi vel sacro adhærente, forcipis cochlearia intrò facilè missa fuisse per nos nunc liceat, horum ope, in pelvim minorem nunquàm adducendum esse caput ultrò fatebitur, qui angustiarum superiorum longè minorem diametrum anteriorem, pro majori capitis fœtûs diametro, animadvertet. Obices, vix superabiles, vincere si tentet malè cautus obstetricans, totis suis viribus caput avellens, in pubem aut sacrum fortiter pressus tùm anterior, tùm posterior uteri paries certò certiùs contundetur, rumpetur. Nec dicas caput, digitorum ope, ad statum naturalem priùs esse revocandum; digitis nullus patet aditus, incuneatio vanam illorum efficit pressionem; aut saltèm eam illis non permittit actionem quæ capiti invertendo sit sufficiens.

Angustiis in superioribus transversum si caput hæreat, quominùs intromittatur forceps, vetat axis cochlearis curvitas lateralis: nec contra nitatur obstetricans suæ encheireseòs tenacior, alioquin contusas, laceratas, dolebit matris partes, deturpata, laniata fætus capitis integumenta. Et enim, etsi facilis instrumenti crurum introductio, hæcce recolligere & adunire nullus valebit. Angulus enim quem efformant, perpetuam servat proportionem cum cochlearium extremorum arcûs cordâ; quæ quidèm corda majorem capitis fœtûs diametrum nunc metitur. Patet ergò ad punctum coadunationis reduci non posse crura forcipis à se invicem nimiûm remota, quin partes matris violentiûs removeantur, extendantur & rumpantur. Prædictis in circumstantiis, capitis inversionem admodum necessariam [si quidem à pelvi majori in minorem nequaquàm delabitur nisi facie vel infrà vel suprà objectâ] absolvere forcipis ope si tentet embryulcus, nonne ab instrumenti curvaturâ pelvi minori adeò adversâ, dum cochlearibus frons simul & occiput comprehenduntur, metuenda venit partium disturbatio, ossium capitis dimotio ac fractura? Quid plura! forcipi sic apposito, caput verè incuneatum nihilo cedere experti sunt non pauci.

Minori in pelvi, si facies pubi vel sacro adhæreat immobilis, forcipe apprehendi partes copitis laterales fatemur, at reductis junctisque cruribus eâdem proportione minuetur diameter capitis transversa, quâ elongabitur anterior. Ab hoc pressu quot reformidanda occurrant mala, coccygi, perinæo, vulvæ, vesicæ matris, ipsimet fœtui incumbentia, viderit Medicus.

In eâdem pelvi minori dùm caput, facie ad hoc vel illud latus obversâ, irretitur, nec pauciora nec leviora sunt à forcipe pertimescenda: quæ jam retuli-

mus, cum de capite diximus in angustiis superioribus transversà impedito. Angustiis in superioribus aut in plevi minore obliquè objecto capite, nedum utilis, graviora adauget impedimenta forceps, quippè qui caput jam elongatum magìs ac magìs producit lateribus validè compressis.

Hæc cum satis superque sint, quibus forcipis usum haud raró impossibilem, sæpissimè noxium esse comprobatur, ad vectis usuram & commoda devenimus.

I V.

VECTIS usuram variam necessariò imperant variæ incuneationis species & varii capitis situs : nec uni aut alteri parti indiscriminatim apponendum esse suadet justa partium cognitio. Pro votis ut succedat, tria sunt tenenda: 1°. Cochlearis intra fœtum & partes matris tuta intromissio, 2°. ejus ad partem capitis, quæ mota totam molem cogere debeat, applicatio, 3°. denique ea motûs ratio quâ in caput agens vectis, illud foras eliminare queat.

Quæcumque sit incuneationis species, quæcumque causa, cochleari vectis præbet aditum vel faciei dispositio, vel ars obstetricantis caput incuneatum digitis & pollice paululùm hinc vel inde suprà vel infrà diducentis. Capitis partem cui vectis cochlear sit applicandum definire haud arduum erit attendenti, quamnam solidi speciem offerat caput fœtûs per angustias vel superiores vel inferiores transeuntis. Occiput prius oblatum facies subsequitur, hinc caput conum effingit cujus apex seu occiput antrorsum, basis verò seu facies retrorsum. Jam verò quoties coni basis propellitur, movetur & juxta eamdem lineam illius apex. Basi ergo seu faciei parti infimæ, maxillæ nempe inferiori, admoveatur potentia, partem oppositam in motum adversum impellendam esse demonstrant mechanicæ leges. Vi efficaci, quam ministrat vectis, prudenter utatur embryulcus, caveat ne, partibus matris tanquam fulcro incumbens, illi gravissimam inferat injuriam : at manui alterutri innixum vectem alterâ manu moveat & premat juxta primæ vectium classis axiomata, aut tertiæ classis, situ servato, manus caput fœtûs inter & alteram manum fulcri-vices gerentem ponatur. Quâ sobrietate, ut ita dicam, elevandum, movendum & propellendum sit caput, verbis exprimere supervacaneum ducimus. Præcepta nonnullis exemplis dilucidare & confirmare satiùs videtur ; unde quid in aliis prætermissis circumstantiis embryulco vecte utenti sit agendum facilè quivis, non rudis, concludet.

Si capitis in angustiis superioribus hærentis facies pubem aut sacrum directè, dextrum aut sinistrum latus obliquè respiciat, ita caput invertendum est ad uunm vel ad alterum latus, ut sua major diameter diametro angustiarum transversæ sit ferè parallela ; caput enim per angustias superiores nunquam nisi obliquè descendere nemo nescit. Ut hæc fiat inversio ; sinistra manus vectem, dextrâ ducente, immittit juxta lineam quæ matris cluni dextræ manubrium offerat, cochleare verò inter genam fœtûs sinistram, & uteri ostii limbum proximum collocet. Eadem sinistra manubrium moderatur & ad partes capitis fœtûs laterales, levi motu & supra suum axem rotatu propellens, cochlearis introductioni favet. Ut vero capiti infantis applicatum cochleare, parti mobili incumbat, hoc dextra manus intropellit eo motu sapienter moderato qui 90 gradus describat : sicque maxillæ inferiori adaptetur. Vectis cochleare inrroductum monstrat axis instrumenti, qui sibi derelictus, ambarum angustiarum diametros anteriores secat perpendiculariter ; monstrat etiam illius in hoc situ à partibus maternis

contra-nitentibus immobilitas. Cochleari angulum maxillæ apprehenſum certò edoctus obſtetricans, dextrâ manu firmiter mediam vectis partem continet & digitis ſiniſtris parti parietalis dextri poſteriori appoſitis, pollex verticem premens caput ſublevat, ad latus ſiniſtrum pellit occiput, dum vectis ope, cujus caverna fœtûs genam quaſi includit, facies ad dexterum latus adigitur, ſicque victis obicibus, truditur in pelvim. Hoc in ſitu fœtûs diameter anterior in anguſtiarum tranſverſæ diametri plano eſt parallela. Ad latus ſiniſtrum, ubi convenientius videtur, quomodo caput ſit inclinandum, mutato latere & mutatis manibus, quivis facilè intelliget. Sicque ſitui naturali redditum caput, dum modo nullis aliis irretiatur vitiis, naturæ enitenti committitur.

Tranſversâ hærente capite in anguſtiis ſuperioribus & ad latus ſiniſtrum obverſâ facie, contra pubim, ſi major eſt preſſio quàm contra ſacrum, extremis dextris digitis caput in ſacrum deprimitur, hæcque depreſſio dat locum introductioni cochlearis, ſic diſpoſiti ut manubrii pars inferior terræ obvertatur, juxta diametri anterioris directionem. Cochlearis, inter genam ſiniſtram fœtûs ac partes anteriores & laterales ſiniſtras oſtii uteri introducti, manubrium ad oppoſitum verticale punctum elevatur, arcum vel majorem vel minorem pro pubis curvaturâ deſcripturum. Quando fixus hæret vectis, axemque habet plano ſymphyſis oſſium pubis obliquo parallelum, cochleare ſiniſtro maſſeteri muſculo fœtûs eſſe applicatum conſtat. Tunc vectis parti mediæ appoſitâ ſiniſtrâ quæ fulcri immoti munus adimplet, dextra manubrium movens, caput leniter premit, & ad pelvim deducit.

Si ad ſacrum magis hæret caput, inverſâ vectis introducendi ratione, eodem manuum exercitio idem producetur effectus, caput in pelvim deſcendet, facieſque ad ſacrum inclinabitur; poſito tamen quòd ad illud faciliori inclinatione tendat quam ad pubim. Ad hunc enim ſi facies magis quam ad ſacrum vergat, huic propenſioni faveat ſecunda introducendi vectis methodus; ſicque à collo detorquendo ac fœtu ſtrangulando ſeſe abſtinebit embryulcus.

Capitis in pelvi minore incuneati quicumque ſit aſpectus, eædem aut ferè ſimiles, quas dictitabit occaſio, leges ſunt tenendæ. Methodum ſingulis incuneationis ſpeciebus commodiorem & tutiorem exponere, & exercitio confirmare facilius nobis erit reſpondentibus, quàm ſcriptis depingere.

V.

VECTEM a Roonhuiſen jam inventum, a medicis batavis laudatum, ab obſtetricantibus vero, notæ optimæ, infidum ac noxium renunciatum atque repudiatum, denuò nos in medium proferre, & exſuſcitare, ne credas. Roonhuiſiano primâ fronte haud abſimilis noſter videtur, at ſeverior ſi fiat comparatio, hunc ab illo multis capitibus diſcrepare, in propatulo erit (1).

---

(1) Duabus ex partibus conſtat vectis quem laudamus, cochleari ncmpe & manubrio. Cochleare forcipis recti cochlearis figuram referens, juxta ſuam latitudinem & cavitatem inſpectum, longitudinis pollices 7 ½, latitudinis majoris pollicem 1 lineas 8, habet, craſſitici lineas 2, feneſtra longitudinis pollices 3 ½ latitudinis vero majoris 8 lineas. Cochlearis cauda quæ maun̈brio includitur longitudinis pollices 4 ½, latitudinis lineas 10 habet minor, manubrii latitudo major 14 lineas adimplet.

Vectis à latere inſpectus litteræ S. Romanæ Formam æmulatur: duo igitur offert circulorum ſegmenta inæqualia quorum curvitates oppoſitæ in extremis junguntur, unde duæ arcuum cordæ fingi poſſunt, corda cochlearis pollices 5, lineas 3 adæquat, cujus maxima ab arcu diſtantia pollicem 1 lineas 2. Linea ab extremitate inſtrumenti ducta ad cochlearis convexitatem cujus eſt tangens, ad punctum uſque contactus protenſa pollices 10 habet, cjus maxima ab arcu, cujus eſt corda, diſtantia pcıpendicularis lineas 10; unde facilis eſt eſtimatu utraque inſtrumenti curvedo.

Plurimis vitiis fœdatum vectem Batavum meritò rejecerunt. Quàm fortiori jure, illius usurpandi rationem, in tractatu, cui titulus est *instrumenti Roonhuisiani ad partus inventio*, delineatam, damnamus impossibilem & noxiam.

Ast inquient, laboriosis partibus, à capite incuneato, sufficiunt & suffecêre forcipes, a peritis viris emendati, quorum usus & certior & simplicior. Forcipes votis obstetricantium nonullorum satisfecisse non diffitemur. Verùm enim verò (omissis de verâ incuneatione dubiis, capite præsertim crassitiem solitam non superante) non pauca occurrunt partûs impedimenta, quæ vecti vix aditum permittant: tunc autem quantò difficilior utrique forcipum cochleari erit introitus! Quam sæpe impossibilis crurum adunatio! Forcipe intromisso, caput amplexante, validè apprehensus extrahitur infans, pressionis, succussionis, tractionis effectus nemo non reformidat. Dolent multi strictiorem colli comprehensionem, elongata cervicalia ligamenta, medullam spinalem divisam, colli lacerationem, à trunco caput avulsum, &c. Contrà partibus in circumstantiis vectis nullo labore aut saltem levi introfertur, manu prudenti ductus & moderatus nec fœtum nec matrem lædit, partumque expedit feliciter. Undè laudum, quibus vectis Roonhuisiani usum extulit celeberrimus Vanswieten (1), partem maximam liceat in vectem nostrum qui simplicior, mole minor, commodior, & cujus applicatio sanioribus regitur legibus, refundere: Et concludere:

Ergò capite incuneato, vectis forcipibus est anteponendus.

(1) Comment. in Hermanni Boerhaave Aphorismos, Tom. 4. pag. 485. edit. Paris.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. *Dominicus-Joannes-Baptista* DE LA BICHE.	M. *Bertrandus* DUPUY.	M. *Dionysius* PAUTIER DE LABREUILLE, *SS. Delphini & Delphinæ dum viverent, Medicus Primarius.*
M. *Joannes-Baptista-Eugenia* DUMANGIN.	M. *Joannes* COLOMBIER.	M. *Natalis-Andræas Joannes-Bapt.* CHESNEAU.
M. *Thomas* LEVACHER DE LA FEUTRIE, *Anatomes & artis obstetritiæ in gratiam Matronarum Professor designatus.*	M. *Joannes-Carolus* DESESSARTZ.	M. *Dionysius-Claudius* DOULCET.

Proponebat Parisiis CLAUDIUS-ANDRÆAS GOUBELLY, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor.
A. R. S. H. 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1772.